

copia, ut totum impleat abdomen, causa etiam ex illo prodire potest loco. Imò nec divortium facimus ab iis, qui duplicem faciunt hanc melancholiam, prout minera ejus, vel in dextro, vel in sinistro colligitur hypochondrio. *Brunn. consi. 7 d. hoc affectu.* Vias verò per quas vapores tales ad cerebrum deferri possint, laboriosè inquirere velle, opus ferè non est, cum satis manifestæ dentur ac patentes; juxtaq; Hippocr. lib. *περὶ τροφῆς, ξύρραια μία, ξύμπνοια μία ξυμπάθεα πάντα.* & *Scholz. Consil. med. 183.* eas demonstret.

APHOR. VIII.

Causa continens, proxima ac formalis, est obfuscatio spirituum animalium, ac tenebricosa eorundem peculiarisq; ac ἀερήτω quodam modo facta dispositio ac constitutio, phantasma simile efficiens, mœroremq; ac metum inducens: à vaporibus ac fumis melancholicis, atris, tenebricosis, ac eodem modo affectis, in cerebrum elatis, proficiscens.

χόλιον.

CAUSARUM cognitio cum Medico summè necessaria sit, ut sine harum notitiâ in curatione nihil rectè efficere possit: & Hippocr. l. d. flat. dicat; εἰ γὰρ εἰδείη τὴν αἰτίην τῆ νοσήματος εἶος τ' αὖ εἴη προσφέρειν τὰ συμφέροντα τῶν ἐν τῷ σώματι, ἐκ τῶν ἐναντίων ἐπιστάμενος τὰ νοσήματα qui enim causam morbi probè cognoverit, utiq; ex his quæ in corpore insunt, adeptus per contraria morborum cognitione, facile poterit quæ conferunt offerre. Ciceroq; Medici causam morbi inventam, curationem inventam putant, inquit. Igitur

felix qui poterit rerum cognoscere causas.

Eæ verò profundis sæpè tenebrarum cum immersæ sicut nebulis, ut ad eas eruendas non Davi sed Oedipi ingenio opus: meritò & nos diligentiori investigatione hujus affectus causas inquirere debemus. Cum autem longâ sæpè earum detur series, à *Senn. l. 2. Inst. part. 2. c. 1.* explicata; quæ tamen non omnes in omnibus invenian-

tur